

16



11. 11. 11

$294 \frac{2}{3}$ gm



15

M E D I C A T I O
V I R I
A N G I N A

laborantis.

Q U A M

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

VIRI CLARISSIMI

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit.

P E D R O O R M E A U L T R A J E C T I N U S

Ad diem 24. Octobris horâ nonâ matutina.



Naturâ & Industriâ.

TRAJECTI ad RHENUM

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCKE,

ANNO 1646:



Clarissimis, Doctissimis, & Excellentissimis Viris.

D. BARNARDINO ORMEA
Illust. ac Præpotent. D. D. Ordinum Hol-
landiæ ac West-Frisiæ Deputato: Floren-
tissimæ Civitatis Brielanæ nuper Consuli
primario, patruo suo, debitâ reverentiâ
prosequendo.

D. ADRIANO vander HOECK:
I. V. D. Ecclesiæ Reformatæ Gallo-Bel-
gicæ, quæ Hagæ-Comitis Christo colligi-
tur Seniori maximè pio: Et in Provinciali
Hollandiæ Curia Advocato longe peritif-
simo, cognato suo semper honore pro-
sequendo.

D. GVILIELMO BOM I. V. D.
Amico suo singulari amore venerando.

Has Medicina primitias

Amore

Ore

Re

Do

Dico

Dedico

PEDRO ORMEA

M E D I C A T I O
 V I R I
 A N G I N A
 laborantis.

I.

Vir triginta quinque annorum, temperamenti sanguinei, genio, liberaliore & generosiore potu, indulgere solitus, subito incidit, in spirandi & deglutiendi difficultatem, paulatim magis magisque ingravescentem. Hæc intra paucas horas ita crevit, ut quidquid ore haustum deglutire conatur, naribus rejiciat, spiritum non nisi rectâ cervice, ore hiante, & linguâ exsertâ, eumque difficillimè, cum metu strangulationis, ducat. Facies rubet. Collum rubrum & tumidum valdè calet. Ore aperto, & linguâ depressâ faucium conspicitur tumor & rubedo. Pulsus adest celer, creber, & validus.

II.

Partes affectæ in hoc ægro sunt muscoli faucium, tum interni, tum externi; quod tum ex tumore & rubore foris & intus conspicuis, tum ex deglutionis & respirationis difficultate, satis est manifestum. Afficitur etiam cor, ut patet ex feбри, quam pulsus celer creber & validus, inflammationem hanc comitans, indicat.

III.

Morbis, ægrū infestans, est musculorum interiorum & exteriorum, gutturis & gulæ phlegmone, quæ, difficultatem magnam respirandi & deglutiendi efficiens, *Angina* vulgò appellari solet.

IV.

Causa procatærica hujus morbi est genialis vita, quam æger noster, potui liberaliori & generosiori indulgendo, ducere sole-

Q₂

bat

bat. Hinc adjuvante sanguineo ejus remperamento, magna copia sanguineorum humorum, in toto ejus corpore genita, *Antecedens* hujus morbi fuit causa. Eaque in corpore incalescens, & poros vasorum circa guttur & gulam aperiens, & in musculos eorum internos externosque sese copiosè effundens, *Continentem* hujus morbi & ejus symptomatum constituit causam

V.

Dum enim, per illum humorum sanguineorum in musculos illos copiosè influentium, ibique vehementius incalescentium, influxum tumor circa collum & fauces nascitur, gula & guttur arctantur, eaque justâ dilatatione, in deglutitione & respiratione necessariâ, satis aperiri nequeuntia, magnam respirandi & deglutiendi pariunt difficultatem. Dumque æger liquorem ore haustum magno conatu versus gulam tumidam musculus oris deglutiendi causa premit, liquor pressus fauces clausas inveniens, impetum que à pressione habens, magna vi per foramina, expalato in nares patetia, erumpit. Et quia ab hoc tumore, tanta gutturis est angustia, que à musculis tumidis satis aperiri non potest, hinc ore aperto, linguâ exsertâ & extensâ, ac erecta cervice, conatur æger gutturis apertionem inter respirandum juvare. Cumque hic conatus respirationi vix sufficiat, hinc tanta oritur respirationis difficultas, ut ea strangulationis metum ipsi incutiat.

VI.

Nec mirum est faciem collum & interiora oris valdè rubere, pulsumque esse celerem, crebrum, validum; cum illud à rubicundo & effervescente sanguine, partim in illas partes copiosè illapso, partim à parte affecta per venas perpetuo ad cor refluyente, ibique vehementi sua incalescentia febrem symptomaticeam excitante, originem ducat.

VII.

Morbus hic, cum fit acutus, & strangulationis periculum inducat, celerrima curatione est impugnandus. Eaque in cause ante-

antecedentis & continentis ablatione, ac respirationis auxilio consistet.

VIII.

Mox igitur educatur sanguis ad revulsionem ex brachio dextrò ad uncias decem, & nisi malum mox levetur, reiteretur venesectio intra horas duas; imo vel tertio repetatur post tres horas.

Et postea injiciatur talis Clyster:

℞. Rad. Althea vnc. j.

herb. violaria,

mercurialis, parietaria ana m. j.

flor. violar.

Rosar. ana m. j.

fol. senna vnc. j.

sem. lini

feni grac. ana dragm. ij.

faniculi dragm. j.

Decoq. in aq. com. Incolatur a dissolve

Diaphanic, i diaprunis ana vnc. s. f. Injiciendus

Ol. camomillor. vnc. j. s. salis com. drag. j.

Fiat Clyster, mox injiciendus.

Utatur etiam hoc gargarismo:

℞. Fol. Plantaginis,

Bellidis majoris ana m. j.

flor. rosar. rubrar. p. j.

balustror., galla ana dragm. j.

sem. cydonior. scrup. iv.

Decoq. in aqua plantaginis lib. j. solani, equiseti ana vnc. j. s. Fiat gargarisma, quo gargariset; Vel fauces saltem humectet, & capite retrorsum inclinato lavet.

Faucibus oleo Amigdalor. dulc. illitis, adhibeatur foris hoc Cataplasma:

℞. Rad. Althea vnc. j.

fol. malva, bismalva,

Q 3

Cha.

Cherfol. ana m. j.

Far, sem. lini,

fenigræci ana unc. s.

fl. Camillor. meliloti ana p. s.

pulv. nidi hirundinis unc. j. Cum lacte vaccino Fiat
cataplasma calide adhibendum.

Si malum his nondum levetur, aperiantur venæ sub lingua,
& cucurbitæ multæ ab humeris per univèrsum corpus deorsum
adhibeantur, & cutis multis locis scarificetur.

Si strangulationis metus perseveret, laringotomiâ respirati-
onem levandam censeo: cum ea turò, cum certo egri levamine,
usurpari possit, tertio vel quarto annulo infra guttur.

Et, si deglutiendi impedimentum diu continuetur, injiciatur
bis in die talis Clyster nutriens:

℞. Iuris Caponis lib. j.

vitellos ovorum ad mediocritatem coct. N^o. ij.

Cinamomi scrup. s.

Fiat Clyster nutriendi causâ

bis in die injiciendus.

Ubi aliquid deglutire poterit æger, hoc utatur decocto:

℞. Rad. Cichor.

dentis leonis, ana unc. j.

Herb. Cichor.

Endivie,

dentis leonis ana m. j.

Card. benedicti,

Scabiose,

malve ana m. s.

Sem. q. frigid. major. ana dragm. j. s.

Anisi,

feniculi ana scrup. iij.

Tamarindor unc. j.

Fiat decoctio in aq. com., addendo sub finem decoctionis

sol. sennis unc. j. cinnamomi scrup. j. s.

Col.

Col. Pro apozemate, de quo sumat quotidie uncias quatuor
mane ieiuno ventriculo.

Si tumor in abscessum mutetur, & rumpatur, tali utatur
oris collutione.

℞. Rad. glycyrrhizæ unc. s.

herb. matricar.

meliloti ana m. s.

floxum camomill. p. ij.

passular. unc. s.

caric. pingu. N^o. ij.

Coq. in s. q. aq. com. collatura lib. j. adde mellis

Rosat. unc. j. s. misce; fiat, Gargarisma.

IX.

In diæta aer sit temperatus. Cum æger deglutire poterit,
cibus sit liquidus & mollis ex ovis forbilibus & jusculis. Viten-
tur omnia quæ sanguinem calefacere possunt, ut piper & alia
aromata. Potus sit cerevisia tenuis. Corporis imperetur quies.
Somnus sit solito brevior, ne eo malum exasperetur. Alvus
solvatur arte vel naturâ. Sollicitudines, quantum potest,
vitentur.

F I N I S

Corollaria.

1. **A**N respiratio & pulsus in eo tantum differunt, quod illa ab animali, hic à naturali facultate perficiatur. Aff.
2. Reluctamur quorundam opinioni, alimenta temporis spatio corrumpi, haud calore mutari dicenti.
3. Omnes humores ab uno eodemque calore geperantur.
4. Datur circulatio sanguinis.
5. Qui galea nati nulla ex eo habent privilegia, nec ullis ideo periculis obnoxii sunt.
6. Nullus datur naturalis humor melancholicus.
7. Vita proprie non consistit, in unione animæ & corporis; sed in caloris & substantiæ dissipatæ, per alimentum preparatum & in partes impulsam reparatione.
8. Sine testiculis animalia generare possunt.
9. Animi aduata non tantum morborum, verum etiam mortis sunt scaturigines.
10. Vulnera cerebri & cordis semper sunt lethalia.
11. Pueris saepe & multum cibi est dandum.
12. Pili & unguis sunt corporis partes.
13. Vesicula bilis non attrahit bilem, nec bile nutritur.

FINIS.


00 A 6396

ULB Halle 3
002 928 167



St





ia Respondentis.
 n sive humerū summum, cum Galeno lib. de
 homini proprium affirmamus.
 intro contrahens & reducens, eādem por-
 at & foras expellat, nullum inde incommo-
 ft mole sua jecur superare, qui adhibitorum
 cté existimatus est jecori ad sanguinis cō-
 cus ren esse potest.
 conjugationes è spina medulla ortas, è coe-
 o nervum conjugij expertem malè deducit



M E D I C A T I O
 V I R I
 A N G I N A
 laborantis.

QUAM
 Divino adjuvante Numine,
 SUB PRÆSIDIO
 VIRI CLARISSIMI
 D. HENRICI REGII,
 Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ
 ac Botanices Professoris Ordinarii,

Publicè examinandam proponit.
 PEDRO ORMEA ULTRAJECTINUS
Ad diem 24. Octobris horâ nonâ matutina.



Naturâ & Industriâ.
 TRAJECTI ad RHENUM
 Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK,
 ANNO 1646.